



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. III. Satuitur verus Fidem resolvendi modus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

SECTIO SECUNDA.

Aliis quidam in Fidei resolutione procedendi modi.

I.
Resolvendi
modo nequis
Fides in au-
toritatem
humanam
Ecclesie.

PRIVATO itaque sectariorum spiritu reje-
cto, in quid alii Fidem resolvant videamus, nec enim omnium idem hac in re est procedendi modus. Dicunt ergo aliqui resolvit Fidem ultimo in auctoritatem humanam Ecclesie tanquam in objectum formale. Sed contra, auctoritas humana Ecclesie est fallibilis, solum enim dicit, ut saepe declaratum est supra, ceterum virorum prudentum, qui simpliciter errare possunt, nec rem que credenda proponit, faciunt absolute sed moraliter tantum certam, sicut actus Fidei, qui in hanc auctoritatem tanquam in ultimum determinativum resolvitur, non haberet illam certitudinem, quam Theologi omnes in eo re-
quirunt.

II.
Quid dicen-
dum de re-
solutione Fi-
dei in divi-
nam Eccle-
sia auctori-
tatem.

Ostenditur
in hac Fi-
dem resol-
vendi via
committi
circulum.

III.
Fides re-
solvent ali-
qui in lu-
men inter-
num trans-
fusus vel ha-
bituale.

IV.
Lumen re-
nes se ex
parte poten-
tie, non ob-
jeti.

V.
Non resolvit
Fides in
principia
evidentia.

Secundò alii Fidem, non in humanam, sed di-
vinam Ecclesie auctoritatem resolvunt, prout ni-
mirum infallibilem Spiritus Sancti assentientiam includit, & hoc pacto nec errare ipsa potest, nec
alios in errorem inducere: ita sentire videtur
Valentia, & alii. Vereor tamen, nisi aliud adda-
tur, ut scopum attingant; in id, quod maxime
vitare cupiunt, incidere videntur, circulum
scilicet vitiosum, circulus namque, ut Sectione
præcedente ostensum est, tunc committitur,
quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc
probatur, sicut ab eodem ad idem fit progressus.
Quod verò in hac Fidem resolvendi viā istud
contingat sic probo, Deum siquidem aliquid doc-
ere seu revelare credunt hi auctores, quia Ecclesia
infallibili sua auctoritate id proponit, rursus verò
Ecclesia auctoritatem esse divinam, seu habere
ipsam infallibilem in rebus Fidei proponendis ac
definiendis Spiritus Sancti assentientiam credunt
quia Deus hoc in Scripturis docet ac revelat, nec
enim aliunde hoc nobis certò innescit, sed ad
summum habemus moralē illius certitudinem
ut num. præcedente declaratum est, ergo incur-
rit circulus, & idem mediatae probatur per
seipsum.

Tertia, quorundam sententia est, Fidem re-
solvi in lumen internum, vel transiens, vel habi-
tuale productivum actus Fidei: ita Bannez 2. 2.
quest. 1. a. 1. Aragon ibid. Cumel hic, q. 1. a. 1.
Canus lib. 12. de locis Theol. cap. 3. Concil. 2. & 3.
tenere etiam idem videtur Albertus Magnus in
3. dist. 24. a. 1. & 2. Hanc similiter opinionem
Suarez hic, Disp. 3. sect. 3. n. 4. ex parte tribuit
Molina 1. part. quest. 1. art. 3. Disp. 2. citari etiam
solet Scotus in 3. Dist. 23. quest. unicā.

Hi auctores, quamvis vera sit doctrina quam
tradunt, non tamen loquuntur ad rem praesen-
tem, seu de ratione Fidei objectivā, quæque per
actum Fidei repræsentetur, moveatque tanquam
objectum cognitionis; lumen enim, sive habitualis
sit sive actuale, tenet se ex parte potentie, quo
nimirum confortatus intellectus ad actum Fidei
supernaturalem eliciendum elevatur, sicutque me-
diū incognitum, & hoc modo intelligendum
exstimo Doctorem Subilem proxime citatum.

Quartus dicendi modus est P. Vasquez 1. part.
d. 4. & 5. qui secutus Marsilium in 3. q. 14. ait
Fidem resolvit in principia evidentiā, Deum scilicet
esse veracem, & omnes ejus revelationes esse

essentialiter veras. Sed contra: Fides in id resolvit
debet, quod est ratio cur mysterium aliquod
credimus esse à Deo revelatum, hoc autem, ut
constat, non est quod sciamus Deum esse vera-
cem, quantumcumque namque sit verax, non
propterea necessario quidquam revelat. Haec sunt
principia hac de re sententia: alias proinde mi-
noris momenti omitto.

SECTIO TERTIA.

*Statuitur verus Fidem resolvendi
modus.*

REcoleendum quod supra, Sect. I. n. 2.
notavi, ad primam Fidei productionem
duo motivorum genera concurrent, cum volun-
tate quædam, quædam cum intellectu: prima ad
Fidei acceptationem conferunt, movendo scilicet
voluntatem ut actum Fidei circa rem, quæ
prudenter creditibiles proponit, imperet intel-
lectui, efficiatque ut ei assentiat. Alia verò
motiva immidiata spectant ad intellectum, sunt
quæ illa, quibus nixus judicat quis rem aliquam,
non creditibilem esse, sed veram; ac denique sunt
ratio, in quâ actus Fidei tanquam in fundamen-
to silit, causaque sui objectiva. Cū ergo Fi-
des in eas causas resolvit debet, quæ ordine ge-
nerationis ad illam ducunt, videndum in quam
ex istis ultimò sit refundenda, seu, quod codem
redit, quænam ad actus Fidei productionem
prima concurrat.

Habendum etiam præ oculis quod Disp. præ-
cedente, Sect. I. & 2. latè probavi, nempe au-
toritatem Ecclesie esse divinam, ejusque vo-
cem esse vocem ac verbum Dei, & infallibilis
omino certitudinis; per Ecclesiam namque Deus
tanquam per organum suum loquitur ac testifi-
catur, unde, ut loco citato ostendi, Ecclesie
testificatio seu definitio, in certitudine & infal-
libilitate est ipsis divinis literis æqualis; qua de
causa Ecclesia 1. ad Timotheum 3. verl. 15. ap-
pellatur *columna & firmamentum veritatis*; & ob
candem rationem S. Augustinus, ut ibidem dixi,
ait: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ec-
clesie commoveret.*

Ex quibus omnibus infero juxta supra dicta,
eum, qui mysterium aliquod credit propter au-
toritatem divinam Ecclesie, credore propter te-
stimoniū Dei. Utrum autem auctoritas Ec-
clesie dicenda sit simpliciter objectum formale
Fidei, quæsto ferè est de modo loquendi; quam-
vis enim ad illam etiam tanquam ad motivum ter-
minetur actus Fidei, & propter eam rci pro-
positæ assentiantur, congruentius tamen fortasse di-
citur non esse simpliciter objectum formale Fidei,
hoc namque innuere videtur de essentiâ actus fi-
dei esse, in revelatione divinam non alio modo
ferri, quam ut ab Ecclesiâ propositam. Objec-
tum ergo formale Fidei simpliciter est auctorita-
tas Dei, utpote sine quâ nullus omnino elici pos-
tis Fidei divinæ assensus, auctoritas verò & pro-
positio Ecclesie dici potest objectum formale so-
cundum quid, seu modificatio quædam, ut re-
cte Caetanus hic, quest. 5. art. 3. vel ut alii
loquuntur completio & consummatio divinæ re-
velationis, quod nimirum quamvis divina reve-
latio variis aliis viis manifestari possit, ut in supe-
rioribus ostensum est, in hacten rerum peritasi-

I.
Duplex mo-
tivorum ge-
nus in assen-
tia Fidei pro-
ducendo in-
tervenit.

II.
Notandum
auctorita-
tem Ecclesie
esse divi-
nam.

Ecclesia cer-
titudinem
habet sacra
Scriptura
parem.

III.
Siue aucto-
ritas Eccle-
sie simplici-
ter dicenda
objectum
formale
Fidei.

Propositio
Ecclesia est
modificatio;
quædam
revelationis
divine in
ratione ob-
jecti forma-
malis.

28 Disp. VI. De resolutione Fidei. Sect. III.

ITEM II.

iis, quibus Ecclesia innovit, hæc est aptissima, s̄mo ferè unica eam manifestandi, r̄sque credendas proponendi, ratio, utpote quæ est organum & instrumentum vivum, sicutque quoad nos aptissimum ad mylitoria Fidei amplectenda.

IV.

*Quo sensu
resolvatur
Fides ultimam
in divinam
auctoritatem
Catholicae
Ecclesie.*

Dicendum itaque, ideo nos mysterium aliquod Fidei credere, quia Deus per Ecclesiam dicit se hoc dicere vel dixisse, sicutque resolvitur tandem Fides in divinam auctoritatem Ecclesie: ita post Caetanum hic, art. 1. Suarez hic, Disp. 3. Sect. 10. num. 10. Stapletonus in Doctrinali, controv. 4. quæst. 3. & alii. Imo communis hic videtur omnium loquendi modus, dum dicunt objectum formale Fidei esse revelationem divinam ut ab Ecclesiâ propositam, per quod denotatur propositionem Ecclesiæ respectu revelationis Dei objectum formale secundarium, seu quandam illius modificationem, ut declaratura est numero præcedente.

V.

*Verba quo-
dus Fidem
resolvendi
traditum per
partes, &
causæ obje-
ctus.*

Ut verò enucleatius procedamus, r̄mque magis in particulari declaremus, Fidem assensum per partes quasi, & eaufus illius objectivas evolavimus. Si quis ergo querat, Cur Verbum creditur esse incarnatum? Quia hoc sacra litera testatur: unde has esse sacras literas & veram Scripturam nosti? Quia Deus per Ecclesiam hoc dicit: at unde tibi constat Ecclesiæ dictio necesse locutionem Dei, seu Deum per Ecclesiam hoc affirmare: Quia motiva credibilitatis ejusmodi sunt, ut faciant hoc esse evidenter credibile, saudantq; rationi maximæ consentaneum esse, ut hoc judicem, nec extra terminatam possim dissentire; quare per imperium voluntatis captivo intellectum in obsequium Fidei, efficior, ut res hoc modo proposita prebeat assensum.

VI.

*Resolutio
divina mo-
ræ intellec-
tuum, mori-
ta credibili-
tatis ve-
luntatum.*

*Fidæ assen-
sus secundum à
motivis cre-
dibilitatis
primo inci-
pit, ita ul-
tior in illa
resolutio,*

Objectum ergo formale Fidei, seu movens intellectum, & cui hic tanquam fundamento inuitit, & à quo infallibilitatem suam & summam certitudinem haurit actus Fidei, ac demum in quo ultimo sifit, est revolutio divina ab Ecclesiâ proposita, ita ut unum integrum objectum modo jam declarato, nec aliud quidquam ex parte intellectus est necessariò requirendum. Ple- na tamen & completa Fidei resolutio hic non sifit, sed in motivis credibilitatis, quæ quamvis ad actum Fidei immediate non concurrant, ut dictum est, nec rem, quæ credenda proponitur ostendant esse veram, ostendunt tamen esse creditu dignissimam, eaque cum probabilitate illam proponunt, ut nullus prudens dubitare queat, qui mereatur fidem & assensum, & quin ille hominum cœtus, qui hujusmodi motiva & signa in se continet, sit vera Christi Ecclesia, quodquo digna sit, quam omnes tanquam columnam & firmamentum veritatis acceptent. Sicut ergo à motivis credibilitatis Fides originem primo dicit, ita ultimo in illa resolvitur, modo proximè explicato.

*Resolutio
nem Fidei
in motivis
credibilitatis
aperit
trahit S. Au-
gustinus.*

*Quam con-
ceptum de
auctoritate
Ecclesiæ for-
maverit
S. Augus-
tinus.*

Hinc S. Augustinus libro contra Epistolam fundamentali, cùm cap. 4. quædam ex his motivis recensuisset, ut confessionem populorum, miracula, successionem Episcoporum in Sode Petri, de quibus aliquo fusè agendum est infra, sic de iis loquitur: Hæc tot & tanta Christiani nomen charissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia. Libro etiam de utilitate credendi, cap. 16. & 17. de hac ipsa regens, ubi miracula, & alia nonnulla ex signis hisce ac motivis, quæ in Ecclesiâ reperiuntur, attulisset, hæc subdit: Auctoritati hujus Ecclesie nolle primas dare, vel summa impietas est, vel præcipitis arrogancia. Docet insuper, ubi quis ob

evidenter motivorum credibilitatem Ecclesiam semel acceptavit, debere eum semper postea illius auctoritatem, ut infallibilem in credendo regulam sequi; unde de se ait, quod supra ex aliâ occasione retulimus: *Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas:* additque, si Ecclesiæ auctoritas iper Manichæos in fringeretur, se amplius Evangelio credere non posse. Ex quibus constat, quam de motivis credibilitatis Ecclesiæque per ea acceptata conceputum formaverit S. Augustinus.

SECTIO QUARTA.

*Solvuntur argumenta contra Veram
Fidei resolutionem proposita.*

CONTRA hactenus dicta objicit aliquis, I. infallibilem hanc Ecclesiæ auctoritatem, inquam nos tanquam in objectum formale assensus, objic. an-
cloritatem
infallibilem
Ecclesiæ esse
unum ex
credendis. seu ex parte intellectus Fidem resolvimus, esse unum ex credendis, ergo propter aliquid aliud credi debet, ergo non est prima ratio omnia credendi, seu **primum credibile**, sicutque vel committetur circulus, & Ecclesia ob Scripturam, Scriptura ob Ecclesiam acceptabitur, vel nullum omnino erit **primum credibile**, seu aliquid in quo sifat & quiescat intellectus, sed ibit in infinitum.

Ad responsum notandum, parva refutatio quod aliquid sit in se primum credibile, seu quod summam veritatem ipsa contineat, nisi sit etiam primum credibile quoad nos, seu quod nos veritatem in illo contentam penetremus, alioquin perinde nobis est ac si veritatem illam in se non contineret. Sicut quantumvis res aliqua naturalis ita à parte rei se habeat, si tamen nobis non innotescat, nec illius vel experientiam vel demonstrationem habemus, nobis perinde est ac si se ita non haberet, parvumque refert quoad nos quod in se vera sit, si non sit vera nobis. Eodem ergo modo, elto divina litera dicuntur primum credibile quoad se, & indemonstrabiles, cùm tamen in praesenti rerum statu, sine infallibili Ecclesiæ testificatione nos hoc non sat dignoscamus, non sunt primum credibile & indemonstrabiles quoad nos, unde in iis, nisi infallibilis accedat auctoritas Ecclesie, que ut ostendum est, unum cum illis constituit objectum formale, Fidei resolutio sistere non potest.

Quantumcumque ergo sacra Scriptura sit Verbum Dei, si nihilominus debito modo non pronatur, conducere ad hunc finem, eliciendi scilicet vel resolvendi actum Fidei non potest. Addé, quis verus sit Scripturæ sensus sapientiæ non confitare, ut ex eo, tum inter nos & Sectarios, tum Sectariorum inter se hac de re controversiæ est manifestum. Imo ipsi etiam Ecclesiæ Patres, orbis lumina, viti doctrinæ & sanctitate maximè conspicui, S. inquam, Augustinus, & S. Hieronymus, aliisque mirum est quantum circa quorundam locorum Scripturæ sensum & interpretationem inter se differint, integris etiam interdum in hanc rem utrumque scriptis tractatibus, quod tamen hanc dubiè non contigisset, si Scripturæ mens esset aperta, r̄sque ex ipsa sola Scripturâ decidi potuisset. Alia ergo præter Scripturam querenda est Fidei regula, viva nimurum, & quæ clarè fæcere aperire, ac declarare

*Parvum
quoad nos
refert, quod
aliquid sit
verum in se,
si non sit
verum nobis.*

*Si sacra
Scriptura
sufficiens
ad fundamen-
tum Eider,
debet idem
ad hoc pro-
poni.*

*Alia præter:
Scripturam
querendo
ob sider re-
gula.*